



**R. P. Ioannis Præpositi Atrebatis, E Societate Iesv, S.
Theologiæ Doctoris, & quondam in Vniuersitate
Louaniensi ac Duacensi Professoris, Commentaria In
Tertiam Partem S. Thomæ De Incarnatione Verbi ...**

LePrévost, Jean

Dvaci, 1629

Qvæstio I. De matrimonio vt est quoddam officium naturæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94249](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94249)

sterius. quod etiam ad secundum locum responderi posset, ad quem nihilominus.

Dico 1. hæreticos non posse ostendere nostram versionem esse malam, & proinde non posse efficaciter ostendere Apostolum eo loco agere de vxore.

Dico 2. Apostolum ibi non agere de vxore, cum verius sit eum vocatum à Christo, antequam vxorem duceret, factus autem Apostolus castitatem seruauit, vt patet ex cap. 7. i. ad Cor. & proinde cum scriberet ad Philipenses vxorem non habuerit. agit ergo de quodam Philippis degente suo coadiutore in prædicatione Euangelij, quem rogat vt iuuare dignetur illas, quæ cum eo laborauerint in Euangelio. *ἀλλοι* enim significat eum, qui idem iugum trahit, & proinde potest significare socium in quolibet opere, & officio, & non tantum in re maritali, aptiusque sumitur apud Apostolum in masculino, quam in feminino, cum *γεννησ* aptius sit masculini generis.

220.

Obiectio 5. Obijciunt 5. quod hæc sacerdotum continentia repugnet decretis multorum Conciliorum.

Resp. 1. non repugnare eo sensu, quem intendunt hæretici: nam Concilia, quæ videntur permittere clericis coniugium, non volunt initiatos sacris ordinibus ante matrimonium posse illud contrahere, vt dub. præcedentibus ostendimus, neque Ecclesia etiam Græca id suis sacerdotibus permisit. vnde hæretici volentes, vt sacerdotes ducant vxores, aperte faciunt contra decreta Conciliorum. Quod si subdiaconis id aliquando liceat, inde oritur, quod is ordo non statim fuerit inter sacros habitus, vt notauimus. Quod si agant de matrimonio ante ordinem contracto, Dico in Ecclesiâ Latinâ semper obseruatum, vt sacerdotes ab vxoribus legitimis abstinere, Græcos hac in parte varios fuisse, vt diximus. canones ergo, qui videntur repugnare, intelligendi sunt respectu Græcorum, qui ante ordinationem matrimonio iuncti fuerunt, quibus vsus propriæ vxoris extra tempora officij concessus est.

Resp. 2.

Resp. 2. Quamvis in Concilijs hac in parte aliqua esset repugnantia cum eo quod iam seruat Ecclesia, nihil fauere hæreticis, quia in pluribus etiam alijs materijs constat in Ecclesiâ quoddam vnum, modo eius contrarium præceptum, & in vsu fuisse: potuit ergo in præfenti materiâ Ecclesia id præcipere, quod conueniens sibi visum est, licet contrarium aliquando fuisset in vsu.

221.

Obiectio 6. ex Can. c. i. Obijciunt 6. can. cum igitur, 35. quæst. 1. vbi dicitur: Ecclesia post Apostolica instituta quædam consilia perfectionis addidit, vt pote de continentia ministrorum.

Resp.

Resp. 1. hæc verba non esse Augustini, sub cuius nomine citantur ab hæreticis, sed Gratiani, quæ in editione factâ ex decreto Gregorij 13. alio caractere ponuntur.

Resp. 2. Gratianum illis verbis non velle continentiam sacerdotum, & aliorum sacerdotum ministrorum solum esse consilij, sed Ecclesiam illam imposuisse, quamvis in Euangelio non extet de eâ dominicum præceptum, & addidisse consilium perfectionis, id est, quod antea solum erat consilij, fecisse præcepti. quod ostenditur, quia Gratianus adfert hoc statutum Ecclesiasticum, vt ostendat coniunctiones consanguineorum esse fugiendas, quia Ecclesiasticis institutionibus inveniuntur terminatæ, quamvis non inveniuntur prohibitæ in Euangelicis, vel Apostolicis præceptis. quibus verbis docet seruandum esse, quod ab Ecclesiâ est statutum, licet de cætero non sit à Christo præ-

ceptum, vt continentia sacerdotum. Adde videri probabilem quorundam lectionem, quæ confirmat responsum, scilicet: Ecclesia post Apostolica instituta quædam consilia perfectionis addidit.

De sancto matrimonij Sacramento.



Vnc tractatum in aliquot quæstiones partiemur. antequam autem de matrimonio agamus, vt est Sacramentum, præmittenda quæstio de eodem, vt est naturæ officium. itaque

QVÆSTIO I.

De matrimonio, vt est quoddam officium naturæ.

DVBIVM I.

Quid sit matrimonium?



EGE 1. ff. de ritu nuptiarum, nuptiæ definiuntur: *Coniunctio maris, & feminae, & consortium omnis vite.* quæ definitio repetitur Institutionibus de patriâ potestate. §. 1. vbi dicitur: *Nuptiæ, siue matrimonium est viri, & mulieris coniunctio inducundæ vite a consuetudinem continens.* quam definitionem etiam adfert Alexander 3. cap. illud, de præsumptionibus, & approbant communiter Theologi & Iuriconsulti. iuxta quæ iura Matrimonium potest definiti: *Coniunctio maritalis viri, & feminae inducendam vitæ consuetudinem continens, seu retinens.* pro cuius intelligentiâ

Notandum, matrimonium sumi dupliciter, vno modo pro statu; seu vinculo permanente inter virum, & feminam, altero pro contractu, ex quo huiusmodi vinculum oritur. Matrimonium in definitione priori modo sumitur. vocatur autem coniunctio, id est vinculum per modum cuiusdam permanentis: nam quatuorvis variâ inveniuntur in matrimonio partim antecedentia, vt voluntas & consensus exterior sufficiens expressus, per quem inducitur vinculum, item translatio corporum, per quam corpus vnus transfertur in potestatem alterius, inveniuntur etiam extrema coniunctionis, scilicet mas, & femina; partim consequentia vt legitimus vsus matrimonij, generatio prolis, eiusdem educatio &c. matrimonium tamen formaliter spectatum per modum status consistit in huiusmodi vinculo permanente. Dicitur etiam, *maritalis*, quo designatur specialis ratio huius vinculi, quod scilicet eo tendat, vt vir sit maritus, & mulier vxor, seu ad commercium maritalē, per quod officium vinculum maritalē ab omni alio distinguitur: v. g. à societate militari, mercaturæ, ciuili &c. cum hæc, & similes coniunctiones, & vincula alios fines respiciant. Dicitur etiam inducendam vitæ consuetudinem retinens, seu consortium omnis vite, quibus verbis rursus designatur conditio, per quam hoc vinculum ab alijs humanis societatibus distinguitur. cæteræ enim societates humanæ voluntate sunt dissolubiles, maritalis verò

coniunctio

coniunctio conformiter naturæ suæ postulat indissolubilitatem, seu, ut permaneat quædamdiu viuunt vir, & mulier, qui talem statum inierunt, cum enim ad propagationem generis humani necesse sit virum, & feminam conuenire, & recta ratio dicit, ut aliquo vinculo inter se adstringantur, ut proles possit rectè educari iuxta exigentiam humanæ naturæ, eadem recta ratio dicit, ut per aliquem contractum oriatur vinculum inter virum, & feminam ad honestam proles educationem, illudque perpetuum, id est quod non dissoluatur viuentis utraque parte, immo, nisi iusta causa intercedat, coniuges non separentur quoad habitationem.

Ex his patet contractum matrimonialem hoc vel simili modo posse definiri, quod sit contractus, per quem vir, & femina mutuo transferunt corporum dominium ad perpetuam vitæ consuetudinem.

D V B I V M II.

Vtrum matrimonium sit licitum?

PLYRES hæretici senserunt esse illicitum, nam Saturninus discipulus Simonis Magi sensit matrimonium esse à demone, eiusque usum illicitum, ut refert Ireneus lib. 1. aduersus hæreses cap. 22. quem errorem secutus est Tatianus eodem teste lib. citato cap. 31. Marcion teste Hieron. lib. 1. contra Iovinianum in principio. Adamiani teste August. lib. de hæresibus hæresi 31. Manichæi eodem teste hæresi 46. & plures alij.

Sed de fide est matrimonium, eiusque usum esse licitum, quod sentit vniuersa Ecclesia, traduntque Patres tam citati, quam alij, qui contra hæreticos scripserunt: & errorem hæreticorum damnat Concil. Gangrense in discipulis Eustachij, qui, ut patet ex proœmio eiusdem Concilij nuptias accusabant, & docebant nullum in coniugali positum gradu spem habere apud Deum, quod anathematizat Concil. cap. 1. idemque damnat Concilium Bracarense 1. can. 11.

Probatur conclusio 1. ex Genes. cap. 1. ubi dicit Deus: *crecite & multiplicamini*, quibus verbis benedixit matrimonio, illiusque usum approbavit. Genes. 2. *non est bonum hominem esse solum, faciamus illi adiutorium simile sibi*. ubi rursus Deus approbat nuptias, & matitale vinculum in ordine ad filiorum procreationem, ex quibus obiter refutatur error Adamianæ, qui censebant in statu innocentie non futurum fuisse matrimonium eiusque usum, cum hæc verba dicta sint antequam homo peccaret, & eo etiam non peccante vim habuissent. Matth. 19. *quod Deus coniunxit, homo non separet*. ubi Christus docet & matrimonium esse licitum, & illud ad primæuam insolubilitatem reuocat.

Confir. ex eo quod Christus nuptias suæ præsentia cohonestauerit Ioannis 2. & quod prioris ad Cor. 7. Apostolus dicit: *qui matrimonio iungit virginem suam, bene facit*: aperte supponens matrimonium esse licitum. item: *si nupsse virgo, non peccauit*. ad Hebræos 13. *honorabile connubium & thorus immaculatus*.

Probatur 2. ex eo quod in scripturâ passim laudentur viri sanctissimi, qui matrimonio coniuncti fuerunt, Abraham, Isaac, Iacob, Zacharias, & plures alij, immo angelus Raphaël Tobie 7. suadet Ragueli ut Saram filiam suam iuniori Tobie tradat uxorem.

3. Matrimonium in nouâ lege euectum est ad esse sacramentale, ut fides docet, ergo est licitum.

4. Nunquam in scripturâ veteri, vel nouâ fuit reprehensum, quod tamen factum fuisset, si esset ex se male, & illicitum, cum Christus Dominus, Prophetæ, & Apostoli huiusmodi publica vitia non dissimulauerint.

5. Non est illicitum humanum genus propagari, ad quod propagandum conformiter naturis rerum, & humanæ conditioni necessaria est maris, & femina commixtio, ad quam conueniens est marem & feminam aliquo vinculo sibi mutuo adstringi ad honestam proles educationem, unde sequitur huiusmodi vinculum non esse illicitum, & proinde nec contractum quo illud inducitur, atque adeo matrimonium tam in ratione contractus spectatum, quam in ratione vinculi esse licitum. similiter eius usum seu actum coniugalem.

Obiici tamen potest, quod in actu matrimoniali inueniatur rebellio membrorum, & quædam immunditia corporum, propter quæ Tertullianus lib. de velandis virginibus cap. 10. debitum coniugale vocat communem contumeliam, scilicet coniugum.

Resp. 1. id nullo modo fauere hæreticis, qui vagum concubitum præferebant coniugali, ut fecit Saturninus.

Resp. 2. hanc immunditiam non necessariò esse mentis, sed posse esse solius corporis, quod non arguit actum secundum se esse illicitum. Adde etiam ne quidem ipsam rebellionem membrorum ita necessariò huic actui coniunctam, ut ab eo abesse nequeat, cum in statu innocentie & nature integre huiusmodi rebellio non fuisset in actu coniugali, sed in eo patet sine vilo libidinis ardore filios procreassent: id ergo solum inuenitur in naturâ lapsâ, de qua locutus est Tertullianus. quæ non obstante rebellionem actus coniugalis est licitus, tum in officium naturæ, tum in remedium concupiscentiæ.

D V B I V M III.

Vtrum matrimonium in ratione contractus, vel vinculi civilis dependeat ab alicuius institutione.

ID videntur supponere plerique Scholastici, asserentes matrimonium fuisse à Deo in paradiso institutum, quorum aliqui censent institutum his verbis: *crecite & multiplicamini, & replete terram*. ita Scotus dist. 26. quæst. 1. art. 2. §. nihilominus. Alij existimant institutum illis verbis: *hoc nunc est ex osibus meis, & caro de carne mea*. tenet Ruardus art. 18. in principio. indicat Scotus dist. 26. quæst. 1. §. ad solutionem circa probationem 3. conclus. & alij tam antiqui, quam recentiores.

Alij censent matrimonium esse iuris naturæ, independentem ab omni positivâ alicuius institutione. tenet Adrian. in 4. quæst. 1. de matrimonio §. quoad primum, quem sequitur Vasquez tomo 4. in 3. partem disp. 1. de matrimonio cap. 2. quæ sententia videtur verior. pro quâ

Notandum creatis masculo, & feminâ sine ulteriori aliquâ liberâ concessione licuisse illis se mutuo carnaliter cognoscere ad generis humani

D d d d

mani

mani propagationem; cum autem ad huiusmodi finē sit omnino conueniens eos, qui se mutuo carnaliter cognoscunt, aliquo vinculo inter se copulari, nullā interueniente alterius concessione huiusmodi contractus iniri potuit, quod nihil est aliud, quā contractum ipsum matrimoniale, & vinculum inde resultans esse iuris naturæ.

8.

Iure naturæ hominibus competit facultas contractus matrimonialis ineundi.

Sive ergo Deus benedixerit matrimonio, sive illud præceperit priori loco citato, sive reuelauerit Adamo illud esse licitum, iure naturæ competit hominibus facultas huiusmodi contractus ineundi ad generis humani propagationem, & conseruationem, quemadmodum homine constituto in rerum naturā, iure naturæ competit illi facultas edendi ad conseruationem indiuidui.

Nec obstat quod primi parentes non potuissent citra Dei reuelationem cognoscere hanc facultatem sibi competere, quia instructio non arguit illos id non potuisse sine liberā Dei concessione, seu non potuisse inire matrimonium nisi Deus potestatem faceret, ergo propter huiusmodi reuelationem non est dicendum matrimonium dependisse à positiuā Dei institutione.

Addo etiā, quod sine hac reuelatione fortē primi parentes potuissent colligere genus humanum propagandum esse per carnalem commixtionem, & ideo Dominum Deum procreasse in genere humano sexuum diuersitatem, potuissent etiā aduertere futurum homini incommodum, si proles non esset sub curā parentum, ut iuxta naturā suā exigentiam educaretur, quod incommodum vitatur per vinculum matrimoniale, & proinde potuissent colligere statum matrimoniale esse necessarium, ut genus humanum conuenienter propagaretur.

9.

Obiectio.

Obicitur tamen, quod Bonifacius 8. cap. vni. co de voto, & voti redemptione, in 6. dicat: *matrimonij vinculum ab ipso Ecclesiæ capite rerum omnium conditore, ipsum in paradiso & in statu innocentie instituentem, unionem & indissolubilitatem accepit. quibus verbis videtur respicere ad illud Genes. 2. hoc nuncio, &c.* ergo matrimonium illis verbis à Deo est institutum.

Resp.

Resp. neg. consequentiam si agatur de institutione propriè dictā, & primariā, &

Dico Pontificem solum voluisse Deum inspirasse Adamo, ut matrimoniali contractu Eux copularetur, & docuisset vinculum ex tali contractu resultans futurum insolubile, patet responsio ex eo quod insolubilitas matrimonij, plurium consensu, non proveniat ex nudā Dei liberā voluntate, sed sequatur ex ipsā naturali conditione matrimonij, ergo non est, quod dicamus Deum illam instituisse, quasi naturā, & conditio matrimonij, & potestas illud ineundi dependeat ex liberā Dei voluntate, & concessione, sine quā homines nullo modo possent sibi copulari vinculo insolubili; sed possumus dicere Deum eatenus dici instituisse insolubilitatem, quod Adamum docuerit naturalem matrimonij conditionem, eumque, & Euam mouerit ad contrahendum, eadem responsio confirmari potest ex eo quod Trident. sess. 24. in doctrinā de Sacramento, matrimonij dicat: *matrimonij perpetuum, indissolubileque nexum primus humani generis parens diuini Spiritus instinctu pronuntiavit: hoc nuncio ex ossibus meis, & caro de carne mea. quamobrem relinquet homo patrem suum & matrem, & adhaerebit uxori suæ, & erunt duo in carne una. quæ postrema verba, eodem Concilio teste, Christus refert, tanquā à Deo prolata. vnde iuxta Concilij senten-*

Quomodo Deus dicitur Auctor matrimonij.

Trident.

tiam habemus hæc verba: *quamobrem relinquet &c.* non hoc sensu dici à Deo prolata, quod ipse protulerit, sed quod Adam eius instinctu pronuntiauerit, & proinde possumus eodē sensu dicere Deum instituisse matrimonium, eodē quod excitauerit primos parentes, ut illud inirent, & docuerit eius indissolubilitatem. Consimili sensu potest intelligi Leo 1. epist. 92. cap. 4. docens matrimonium ab initio fuisse constitutum (scilicet à Deo) ut haberet in se Christi, & Ecclesiæ Sacramentum: solum enim vult Deum mouisse Adamum, & Euam ad inendum matrimonium.

Contra facit, quod Christus Matth. 19. dicat: *quod ergo Deus coniunxit, homo non separat.* quibus verbis docet Deum authorem matrimonij primorum parentum.

Resp. solum fuisse authorem sensu à nobis explicato, non verò, quod matrimonium in se instituerit. Adde quod cum omnis legitima facultas hominis consequens eius naturam possit referri in Deum authorem naturæ, non incongrue etiam hoc modo Deum dici posse matrimonium instituisse quatenus naturam hominis condidit, cui competit posse matrimoniura contrahere, in quem sensum possunt accipi illa verba Aug. lib. 14. de ciuitate Dei cap. 22. *nos autem nullo modo dubitamus se eundem benedictionem Dei crescere & multiplicari, & implere terram, donum esse nuptiarum, quæ Deus ante peccatum hominis ab initio constituit creando masculum & feminam, qui sexus eundem coniungit in carne est, huius quippe operi Dei etiam benedictio subiuncta est.* potest, inquam, dici Deum creando homines in ipsā naturā quodammodo nuptias instituisse.

D V B I V M IV.

Virum matrimonium sit præceptum?

SUPPONO 1. mixtionem carnalem maris, & feminae necessariam esse ad propagationem generis humani, iuxta leges diuinæ providentiæ, cum Deus nolit homines propagare se solo illos creando, vel etiam aliunde eos forma, sed conformiter naturis rerum voluerit hominem ab homine produci, & generari, & quod iuxta naturalem rerum exigentiam necesse est marem & feminam commisceri.

Suppono 2. hanc commixtionem non esse licitam extra statum matrimoniale, saltem citra dispensationem. ex quo conficitur ad honestam humani generis propagationem necesse esse aliquos matrimonium inire, & per vinculum maritale inter se copulari. De eo quod, necessarium est physicè, ut humanum genus propagetur, petiitum extet aliquod præceptum?

Aliqui censent humano genere satis propagato nullo præcepto teneri singulos matrimonium inire, fuisse tamen obligatos eo nondum propagato, ex quibus aliqui censent ad præceptum fuisse naturale, alij verò solum diuinum.

Dico 1. primi parentes, & alij mundo nondum propagato fuerunt obligati præcepto naturali matrimonium inire, atque adeo fuit præceptum naturale de matrimonio ineundo, ita plures tum antiqui, tum recentiores.

Probatur, mundus non potuit aliter honestè propagari, quā per maritalem maris, & feminae commixtionem iuxta leges diuinæ providentiæ, ergo hæc maritalis commixtio fuit iure natura-

turae praecepta, quia homines iure naturae tenebantur subseruire diuinae prouidentiae in generis humani propagatione.

Confir. Deus hominem condens noluit subito illum interire, seu humanam naturam statim definire esse, sed voluit cum reliquis mundi partibus permanere; quod cum non esset futurum in vno, vel altero indiuiduo, voluit humanum genus propagari, & quidem conformiter naturae suae; id autem non potuit praestare sine coniunctione maris, & feminae, ergo homines fuerunt obligati iure naturae illud vinculum suscipere, quo conuenienter possent commisceri ad propagationem naturae: illud autem vinculum est maritalle.

Dices, ex eo quod Deus hominem condiderit, quem noluerit statim interire, solum sequitur, quod fuerit illius procurare aliquem modum, quo genus humanum propagaretur, non vero quod creatura iure naturae generetur Deo in hac parte deferuire.

Confir. primi parentes non videntur potuisse citra reuelationem hunc modum colligere, ergo signum est eos non fuisse iure naturae ad illum obligatos.

Resp. rem moraliter considerando, videri optimam deductionem: quamuis enim non defuerint Deo infiniti modi genus humanum conseruandi, & propagandi citra commixtionem maris, & feminae, conuenientius tamen est id fieri per commixtionem sexuum, vt iam dictum est, ergo Deus conuenienter potuit nullum alium modum velle, quo supposito apparet hunc esse necessarium, & creaturam etiam absque vilo praecepto positum obligari hac in parte deferuire diuinae prouidentiae. delatur ad similes, Deus praestitit indiuiduum humanum conseruare infinitis modis sine eius cooperatione: quia tamen est connaturalius, vt id fiat per sumptionem cibi, homo tenetur praecepto naturali cibum sumere ad sui conseruationem, ergo &c. Ad confirmationem

Resp. 1. neg. assumptum, nam primi parentes perfectissimi scientia naturali instructi potuerunt colligere Deum non condidisse hunc mundum, vt eum statim destrueret, sed voluisset eum diu perferuare: potuerunt etiam colligere alia animantia non propaganda, nisi per maris, & feminae commixtionem, in ijs in quibus inueniebatur varietas sexus, idemque esse iudicium de propagatione generis humani; potuerunt ergo aduertere humanum genus aliquamdiu conseruandum, & non nisi per commixtionem eorum carnalem propagandum, atque adeo hac in parte debere se diuinae prouidentiae deferuire, & proinde teneri actum conjugalem exercere, qui cum postulet vinculum matrimoniale, vt proles educetur conuenienter naturae suae, potuerunt colligere quod deberent sibi mutuo vinculo matrimoniali copulari.

Resp. 2. neg. consequentiam, quia varia sunt iure naturae praecepta, vel prohibita, quae non possunt solo lumine naturae facile cognosci esse talia, v. g. simplex fornicatio, & alia quae nec sunt prima principia, neque ex primis principijs facili & euidenti discursu deducuntur. talia enim difficulter solo lumine naturae dignoscuntur. vbi

Aduerte, quod quia primi parentes forte non ita facile, & cito huiusmodi praeceptum collegissent, Deus eis reuelauerit matrimonium esse licitum, eiusque vsum commendauerit, addens etiam benedictionem illis verbis: *crecite & multiplicamini, & replete terram*, & inspirauerit, vt matrimonio

iungerentur, Genesis 2. cum Adam dixit: *hoc nunc os ex ossibus meis*. &c. quae verba diuino instinctu dicta patet tum ex Matthaei 19. tum ex Trident. sess. 24. in doctrina de matrimonio.

Dico 2. propagato sufficienter genere humano non tenentur singuli matrimonium contrahere. est de fide, ex eo quod constat in Ecclesia matrimonium varijs hominum generibus esse illicitum, vt religiosis, & initiatis sacris ordinibus, item ex eo quod aliquis licite possit se voto obstringere ad matrimonium non contrahendum. patet etiam exemplo Christi Domini, Ioannis Baptistae, & infinitorum aliorum, qui vitam caelibem perpetuo duxerunt. patet etiam ex fine matrimonij, qui est propagatio generis humani, hic enim finis non exigit vt singuli matrimonio iungantur.

Difficultas oritur, num dici possit naturale praeceptum matrimonium contrahendi iam esse reuocatum? ita videtur sentire Scotus distinct. 26. quaest. 1. in 3. conclus. 6. sed intelligendum est, & alij.

Aliqui vero censent nunquam fuisse reuocatum, aut cessasse, sed forte in re conueniunt, tantumque differunt in modo loquendi; quia priores solum videntur velle asserere nostram conclusionem, scilicet obligationem praecepti naturalis de matrimonio ineundo cessare mundo propagato, posteriores vero rigidius loquentes censent ipsum praeceptum non fuisse proprie reuocatum, quae sententia speculatiue est verior, pro quo

Notandum naturalia praecepta non pendere a libera alicuius voluntate, sed esse quaedam dictamina obiectiua, de eo quod necessarium est faciendum, vel vitandum, vt homo conformiter naturae rationali se habeat: cum vero haec dictamina requirant certas circumstantias in obiecto, sequitur deficientibus huiusmodi circumstantijs eorum obligationem cessare, quo non obstant non est dicendum ipsa praecepta reuocari, quia nunquam obligarunt deficiente circumstantia.

Ex quibus patet praeceptum naturale de matrimonio ineundo iam non desinere obligare propter sui mutationem, sed propter variationem circumstantiarum sine quibus nunquam vim suam obtinuit.

Dico 3. non videtur vnquam fuisse praeceptum diuinum de matrimonio vniuersim ineundo.

Probatur, ad propagationem generis humani sufficit naturale praeceptum a Deo declaratum primis parentibus, igitur ex eo capite non est, quod asseramus eos diuino praecepto obligatos, seu non debemus asserere, Deum primis parentibus praecepisse statum matrimonialem propter necessitatem propagandi genus humanum: non autem cogimur ex alio capite hoc praeceptum adstruere, cum ex nullo alio loco solide colligatur, quam ex illo Genesis 1. *crecite & multiplicamini*, qui tamen nullo modo vrget praeceptum diuinum, cum citata verba optime explicentur, etiam si non admittamus in illis praeceptum aliquod contineri, quod scilicet designetur per illa benedictio Dei, qua statum matrimonialem benedixit; designatur etiam fructus benedictionis, scilicet insignis fecunditas Dei beneficio concessa, vt varij explicant recentiores. videri potest Pererius in illum locum, & alij.

Confir. quia in Genesis ibidem dicitur: *& dominamini piscibus maris*, quae verba non conti-

Gen. 1.

Matth. 19. Trident.

Conclus. 2.

16.

Difficultas.

Scot.

Auctoris opinio.

Praeceptum naturale matrimonij non desinit obligare propter sui mutationem, vel reuocationem, sed propter variationem circumstantiarum.

17. Conclus. 3. Prob.

Pererius.

nent præceptum, ergo non adstringimur priora accipere, tanquam præceptiva; quia neque ex formâ ad hoc adstringimur, neque ex subiectâ materiâ, neque ex sensu etiam tacito ipsius Ecclesiæ.

Adde variorum sententiâ initio nullum datum diuinum præceptum, præterquam de esu ligni vetiri.

Explicatur quidâ PP.

Si qui Patres videantur indicare verbis citatis Genes. 1. præceptum impositum matrimonij contrahendi, possunt intelligi, quod velint naturæ præceptum illis verbis indicatum fuisse primis parentibus.

18.

Quæstio.

Quærent aliqui, num si omnes morentur præter religiosos, aliosque voto castitatis obstrictos, ij tenerentur matrimonium contrahere; quod, vt quidam aduertunt, plus habet curiositatis, quam utilitatis; quod tamen posita hypothefi aliqui affirmant, quod videtur suaderet ratio in primâ conclusione à nobis facta. Alij verò negant, quorum sententia est omnino verior.

Negatiue resoluitur

Prob.

Probatur, constat de obligatione voti præexistente, & non satis constat de obligatione præcepti naturalis in illâ circumstantiâ, ergo dicendum obligationem voti remanere, seu votum vim suam retinere, cum certa obligatio præexistens non sufficienter elidatur per incertam superuenientem.

Confir. si mundus ad illas angustias redigetur dicendum esset Deum nolle vterius eum propagari, & idcirco vel mundum redegit, vel permisisse redigi ad illum statum, vt interiret.

Ad rationem prioris sententiæ

Solutur ratio in contrarium.

Resp. aliud esse iudicium de initio mundi, quando is nondum erat propagatus, aliud verò quando iam est propagatus per aliquot annorum millia, nam in priori statu satis potest constare homines debuisse subseruire diuinæ providentiæ ad propagationem generis humani, quod Deus noluit statim extinguere, iam verò si mundo propagato nulli essent, quibus per suum statum liceret actus exercere carnales, præsumendum esset mundum ad finem tendere, & Deum nolle eum vterius conservare, & proinde nulla esset obligatio subseruendi diuinæ providentiæ in eius propagatione.

19.

Obiectio.

Dices homo potest interdum ex alijs capitibus obligari ad matrimonium in eundem, quidni ergo & in hoc casu?

Resp.

1. etiam in alijs casibus obstrictum voto debere legitimam obtinere dispensationem.

Resp. tamen 2. diferimen esse inter alios casus, & præsentem: in alijs præceptum charitatis vel iustitiæ nos potest obligare, vt auertamus mala proximis impendentia, quâ ratione potest aliquis obligari, vt ineat matrimonium, si regnum alioquin ad hæreticos deuolueretur: in præsentem autem casu præceptum naturale solum posset obligare ratione propagationis generis humani, quod tamen iudicandum esset Deum in talibus circumstantijs nolle vterius propagare, vt dictum est.

Utrum carnalis commixtio viri & femine sit licita extra matrimonium?

Ita sentiunt nostri temporis Anabaptistæ, qui non solum fornicationem, sed etiam vagum concubitum permittunt. eandem fornicationem esse licitam etiam docuerunt quidam antiqui hæretici, vt Nicolaïte, & alij.

Sed certâ fide tenendum est fornicationem non esse licitam. patet ex Apostolo 1. ad Corinth. 7. an nescitis quia iniqui regnum Dei non possidebunt? nolite errare: neque fornicarij, neque idolis seruientes, neque adulteri &c. regnum Dei possidebunt.

Consimilia habet ad Galat. 5. & ad Ephesios 5. ex quibus patet fornicationem seu vsum, & commixtionem maris, & feminæ extra statum matrimonialem esse peccatum, & quidem mortale: quia solum peccatum mortale inter actualia peccata excludit à regno, & hæreditate Christi & Dei.

Difficultas est, quo iure fornicatio sit graue peccatum? Durand. distinct. 33. quæst. 2. paulò ante solutionem argumentorum censet solo iure diuino, quamuis intra limites naturæ etiam sit illicita: sed contrarium omnino est tenendum, scilicet simplicem fornicationem, etiam seposito omni iure positivo, esse graue peccatum seu mortale. ita communiter Doctores.

Probatur 1. ex prædictis locis Apostoli, quibus non videtur legem condere, vel diuinam declarare, sed solum explicare legem naturæ, vt patet ex alijs peccatis adiunctis.

2. Ex eo quod Apostolus longè aliter loqui solet, quando suum, vel diuinum præceptum gentibus conuersis proponit.

3. Fornicatio vel malitiam suam contrahit, quod iure diuino prohibetur, ita vt seclusâ diuinâ lege sit indifferens; vel ante omnem legem posituam est mala. prius est contra Durand. si dicatur posterius, & dicatur ante legem diuinam habere malitiam solum leuem, dicendum id oriri, quod commixtio soluti cum solutâ sit aliquid leue, & leuiter rationi repugnans, si autem hoc dicatur, dicendum non constitui mortale accedente lege diuinâ, quia ea lex ex supposito respicit materiam leuem, & proinde peccatum, quod in tali materia committitur etiam contra legem diuinam, est leue. siue enim Deus possit circa leuem materiam obligare sub mortali siue non, quâdo materia leuis diuinâ lege prohibetur, reipsâ solum oritur obligatio sub veniali: non est autem quod in hac materia contrarium asseramus sine fundamento.

4. Id ostenditur à priori, pro quo

Notandum naturam, quæ ad sui conservationem inclinatur, simul inclinari ad media ad illum finem necessaria, & accommodata, & proinde inclinari ad generationem prolis, & ad perfectionem eiusdem conuenientem humanæ speciei, seu, vt proles educetur conuenienter suæ naturæ, & ad perfectionem perducatur, quorum vtrumque est graue, cum non solum magni referat prolem nasci, seu eius generationem non impediri, sed etiam illam promoueri ad perfectionem iuxta humanam conditionem. quemadmodum ergo peruersio prioris ordinis etiam intra limites iuris naturæ continet grauem deformitatem, estque peccatum mortale, ita peruersio posterioris grauem deformitatem inuoluit.

luit contra rectam rationem, & legem naturæ.

Vnde etiam secluso omni præcepto positivo, est graue peccatum actum carnalem extra statum matrimonialem exercere. ratio est quod, vt homo conuenienter suæ naturæ educetur, & perducatur ad perfectionem sibi conuenientem, per se loquendo, requiritur curam vtriusque parentis, & proinde vinculum matrimoniale inter ipsos parentes, sine quo ex rei naturâ, & per se loquendo, proles non bene educatur, quia vir illius curam negligit.

Coroll. 1. Ex quo pater nullum posse alteri carnaliter commisceri, cui non sit adstrictus vinculo matrimoniali, lege naturæ hunc statum requirente in ijs, qui se mutuo cognoscunt, vt proles educetur conuenienter humanæ conditioni.

Coroll. 2. Ex dictis obiter patet, cur sodomia, bestialitas, pollutio, & similia sint grauia peccata etiam intra limites legis naturæ. nam lex naturæ præcipit debitum vsum instrumentorum genitalium, ex quo quantum est ex parte actus nata sit sequi hominis generatio, cui præcepto grauiter aduersatur omnis actus illi fini repugnans. ex quo fit, vt concubitus inter subiecta, quæ ad generationem conuenire nequeunt, sit mortalis: qualis est inter duos eiusdem sexus, vel inter ea, inter quæ intercedit speciei diuersitas: vnde patet sodomiam, & bestialitatem iure naturæ prohiberi. eidem præcepto grauiter aduersatur modus, ex quo per se non potest sequi generatio, vt libido præpostera etiam inter subiecta diuersi sexus. denique grauiter aduersatur legi naturæ eiectio seminis extra vas naturale, quia talis emissio directe repugnat fini generationis.

24. Ex his etiam patet resolutio quaestionis, num qui inchoauit actum fornicationis, teneatur se retrahere, si aduertat in se, vel comparte secuturam pollutionem. Varij quos citat Sanchez lib. 9. de matrimonio disp. 19. num. 7. negant, immo censent eo casu non posse se retrahere.

Coroll. 3. Sed longè verius est, quod eadem disp. tradit, quod etiam docet Lessius lib. 4. de virtutibus cap. 3. dubit. 7. num. 55. scilicet fornicantem quouis tempore ante completam fornicationem teneri se retrahere: quia tenetur non complere fornicationem, vt pote intrinsecè malam, neque vllò vnquam euentu, de lege ordinariâ licitam.

Confirmatur, in ipsâ seminatione eius deformitas potissimum consistit, eaque est, quæ repugnat commodæ educationi prolis: ergo quocumque tempore antequam fiat seminatio, homo tenetur actum abrumper.

25. Dices, pollutio magis repugnat generationi, quàm fornicatio, ergo quando est periculum pollutionis, homo potest, immo tenetur fornicationem inchoatam perficere, seu complere.

Resp. neg. consequentiam, quia pollutio, quæ præuidetur secutura ex retractione, solum est permixta, non verò intentata: varijs autem casibus iustis de causis permitti potest pollutio, & sic illa non obstante actus ex sua conditione illicitus est abrumpendus. Porro hominem in nostro casu solum permixtè se habere circa pollutionem patet, quia propriè intendit se retrahere, & actum illicitum abrumper.

Idem, dicendum, etiam si femina seminauerit: quia vir se retrahens non intendit, vt semen muliebrem suo sine careat, sed ad id solum permixtè se habet relinquens actum sibi illicitum imperfectum.

Obijciunt 1. L. In concubinato. 3. ff. de concubinis dicitur: quia concubinatus per leges nomen assumpsit, extra legis penam est, quibus verbis videtur inicari concubinatum esse licitum. vnde quidam Iuriconsulti illum vocant coitum legitimum.

Resp. ex prædictâ lege solum haberi concubinatum iure Cæsareo non puniri in foro externo, seu esse legibus permixtum, quod solum volunt Iuriconsulti, qui per legitimum non intelligunt licitum, sed lege permixtum: quamuis minùs commode loquantur.

Obijciunt 2. aliquis potest velle prouidere proli susceptæ ex fornicatione, & reipsâ prouidere tû quoad corpus, tum quoad animam: ergo tali fornicatio erit licita, si saltem spectemus ius naturæ.

Consequentia probatur, quia in eo cessat ratio propter quam fornicatio censetur iure naturæ illicita.

Resp. neg. consequentiâ, eiusque probationem. nam ratio cur fornicatio sit illicita, non est quod quomodocumque sequatur incommoda prolis educatio, sed quod actus, per se loquendo, hoc incommodum adferat, atque adeo sit totis speciei incommodus, & propterea vetitus. quæ ratio non cessat, etiam si in aliquo per accidens id incommodum non sequatur. vnde eo non obstante, quod aliquis sit paratus proli prospicere, in actu fornicationis inuenitur omisso debiti ordinis necessarii iure naturæ.

Dices, id locum non habet in sterilibus, qui tales se cognoscunt: nam ex eorum congressu nullum imminet proli incommodum, cum ea non sit secutura.

Resp. neg. assumptum, quia etiam eo casu est per accidens quod nullum reipsâ sequatur proli incommodum, quo non obstante actus caret debito ordine à naturâ instituto & necessario lege naturæ propter bonum prolis, siue sit secutura, siue non.

Aduerte ius naturæ, quo prohibetur fornicatio, non esse ita clarum, vt non possit eius dari inuincibilis ignorantia, præsertim in his casibus. natura vltiori lumine non adiuta ægè concipit deformitatem commixtionis personarum, quæ nullo inter se matrimoniali vinculo sunt copulate, quando vel ipsæ personæ sunt steriles, vel abunde possunt, & volunt prouidere recte educationi prolis. nam in his circumstantijs nõ ita clarè apparet deformitas, imò nec in alijs ex solo lumine naturæ est euidentem eam esse malâ. quare inter ethnicos videtur posse dari ignorantia inuincibilis illius legis: apud Christianos, tamen non facillè est admittenda huiusmodi inuincibilis ignorantia: quia ex scripturâ, & ex communi parentum instructione, & famâ passim constat fornicationem esse graue peccatû. vnde non potest à graui peccato excusari, qui inter Christianos fornicatur, non existimans esse graue peccatum, eò quod ratio moralis, quæ à Doctoribus adfertur, eum non conuincat, immò eò quod existimet illam nullius esse momenti: quia nihilominus ex celebri famâ inter Christianos, & ex scripturâ, communique Doctorum consensu potest & debet aduertere fornicationem esse peccatum mortale.

Petes, an ex diuinâ cõcessione vsus non suæ possit esse licitus: seu, an fornicatio possit esse licita? ex rationibus enim factis videtur quod non, cum diuina concessio non tollat incommoda, propter quæ fornicatio est naturâ suâ illicita. & ita tenet Sotus dist. 33. q. 1. art. 2. §. hinc fit.

D d d d 3

Sed

26.

Obiectio 1.

Resp.

Legitimum subinde idem, quod lege permixtum.

27.

Obiectio 2.

Resp.

Replica.

Resp.

28.

29.

Petitio.

¶ negat.

Affirmat
Auctor.
S. Thom.
Vasq.
Salas;

Henriquez.
Prob.

August.

30.

Responde-
tur rationi
in contra-
rium.

Sed longè verius est licere ex diuinâ concessione. in quod inclinat S. Thom. 1. 2. quæst. 100. art. 8. ad 3. Vasquez tomo 2. in 1. 2. quæst. citatâ, disp. 179. cap. 3. Salas tract. de legibus tract. 14. disputat. 5. sect. 8. numer. 42. Sanctus Thom. etiam 2. 2. quæst. 154. art. 2. ad 2. Henriquez lib. 11. cap. 1. num. 3. & alij. Ratio est, quod licet incommoda recensita obstant, quo minùs creatura possit tribuere sui vsum ei, cui non tribuerit corporis sui dominium in ordine ad generationem, non tamen impediunt, quo minùs Deus tanquam supremus Dominus omnis iuris suæ creaturæ id possit præstare; seu potest Deus concedere alicui vsum alterius, non concedendo illi eiusdem dominium.

Confir. quia varij censent Osee 1. illis verbis: *sume tibi uxorem fornicationum*, Deum præcepisse Osee fornicationem, ut videtur indicare Aug. lib. 4. de doctrinâ Christianâ, cap. 12. & S. Thom. supra: quod licet sit minùs verisimile, & hæc verba longè alium sensum commodum habeant; ostendit tamen iuxta illorum intellectum fornicationem diuinâ concessione esse licitam.

Ad rationem in contrarium allatam

Resp. incommoda prolis futuræ bene ostendere iuxta rectam rationem denegari creaturæ potestatem tribuendi vsum corporis sui ei, cui non tribuerit eiusdem dominium, non tamen ostendere Deum tanquam supremam Dominum id non posse; & dico rationes, & causas obiectivas malitiæ fornicationis solum concludere non esse licitum priuatâ autoritate tradere corporis sui vsum, non tradito dominio; non verò concludere id denegatum supremo rerum, & omnis iuris Domino, præsertim cum Deus longè melius, & certius proli possit providere, quàm illi inter se copulati vinculo matrimoniali.

DUBIUM VI.

Num sit licitum successuè coniungi pluribus vinculo matrimoniali?

31.

Error Catholycorum.
Tertull. &
Nonatiani
tum.

32.

Veritas Catholica.

1. Cor. 7.

1. Timoth. 5.

CATAPHRYGES teste August. lib. de heresi-
bus heresi 86. secundas nuptias damnarunt,
quorum errori adhæsit Tertullianus, ut patet tum
ex eius libro de monogamia, tum ex August. su-
pra: in eundem errorem lapsi sunt Nonatiani, ut
patet ex Aug. heresi 38. & potest colligi ex Con-
cilio Nicæno can. 8.

Verum certâ fide tenendum est, non solum
primam matrimonium esse licitum, sed etiam se-
cundum, tertium &c. mortuâ comparte. patet ex
Apostolo 1. ad Corinth. 7. *si dormierit vir eius, li-
bera est, cui vult nubat, tantum in Domino*. vbi Apo-
stolus aperte indicat secundas nuptias esse licitas.
Ex eo quod dicitur, libera est, ex quo concludit eam
posse nubere, quasi dicat: nihil obstat; quod minùs
secundâ nubere possit. 2. ex eo quod dicat: *beatior
autem erit, si se permanserit secundum melum consilium*,
vbi particula, *beatior*, aperte indicat non damnari
secundas nuptias. idem Apost. 1. ad Timoth. 5. de
viduis non adstrictis voto castitatis dicit: *volo ergo
iuniores nubere, filios procreare, matres familias esse*. Ea-
dem veritas patet ex can. 8. Concilij Nicæni, vbi
exigitur à Nonatianiis volentibus ad Ecclesiam re-
dire, ut fateantur se communicaturos his, qui for-
tè secundas nuptias experti sunt; item ex instru-

ctione Armenis datâ in fine Concilij Florent. vbi
declaratur, non solum secundas, sed & tertias, &
vltiores nuptias licitas;

Idem docent Patres. Chrysost. homilia 20. in
epist. ad Ephesios: *non quod secundas nuptias condem-
nem, absit: nam & Apostolus illas concessit*. Hieron.
epist. 11. sub medium: *quid igitur, damnamus secunda
matrimonia minime, sed prima laudamus*. Aug. lib. de
bono viduitatis cap. 12. expendens locum Aposto-
li ad Cor. citatum docet mulierem posse nubere
non solum post mortem primi mariti, sed & ter-
tij, & deinceps, quia Apostolus absolute dicit: *si
dormierit vir eius, libera est*. Idem patet ex continuâ
Ecclesiæ praxi, & fauet ratio, quam indicat Apo-
stolus: pars superstes mortuâ comparte libera est,
ergo ex eâ parte nihil obstat, quod minùs possit al-
teri coniungi. 2. secundum, tertium, vel vltius
matrimonium successuè initum modo explicato
nihil inuoluit repugnans generationi prolis, vel
debitæ eius educationi, vel bono fidei, vel indiso-
lubilitati matrimonij: ergo ex nullo capite potest
ostendi esse illicitum.

Obijciunt 1. quod in Concilio Neocæsariensi
cap. 3. pœna imponatur sapius matrimonium con-
trahentibus, & cap. 7. presbyter prohibetur in-
teresse conuiuii secundarum nuptiarum.

Resp. maiorem esse auctoritatem Concilij Ni-
cæni, & praxis totius Ecclesiæ approbantis secun-
das nuptias, quam Concilij particularis, in quo
Episcopi fortè existimantes secunda matrimonia
raro contrahi sine peccato saltem veniali, permit-
tam pro illis imposuerunt, scilicet priuatim: non
quod existimarent posteriora secundum se esse il-
licita, sed esse signa magnæ incontinentiæ, videri
potest Concil. Laodicense cap. 1. vbi & secundæ
nuptiæ censentur legitime, & tamen pro illis pen-
nitentia imponitur.

Obijciunt 2. Basilius epist. ad Amphilo-
chium, can. 4. qui etiam digamis penitentiam imponit,
quam auget trigamis, trigamiam appellans casti-
gatam fornicationem.

Resp. varios Patres in hac materia satis seuerè
locutos, quorum si spectemus verba, vltiores
nuptiæ saltem post secundas videntur condemnari:
sed eos possumus interpretari, quod ex amore
castitatis per exaggerationem ita locuti fuerint,
non quod tertia nuptia sint verè fornicatio, sed
quod sint signum valde intemperantis affectus, &
ad venerem propensi: quâ ratione Gregorius
Nanziazenus tertias nuptias dicitur vocare in-
quitatem, non quod male sint, sed quod sint si-
gnum magnæ intemperantiæ.

Idem dici potest ad quosdam alios Patres, quod
scilicet in secundis nuptijs solum fugillent intem-
perantem affectum, & ex amore continentie di-
cant posteriora matrimonia concedi ex indulgen-
tiâ, ne peiora fiant. videri potest Hieron. epist. ci-
tatâ, qui licet videatur durius agere contra digam-
os tamen loco à nobis citato docet se non dam-
nare secunda matrimonia. vbi tamen

Aduerte cum matrimonium post peccatum sit
etiam in remedium concupiscentiæ, nullum esse
peccatum propriè dictum, si quis sentiens carnis
aculeos ad tertias, & vltiores nuptias conuoluit:
quia nulla est indecentia vti medio etiam ordinato
ad remedium concupiscentiæ, quod indicat Apo-
stolus loco ad Timotheum citato.

Magis vrget author operis imperfecti homilia
32. in Matth. censens secundas nuptias reuera esse
fornicationem.

Resp. 1.

Resp.

Resp. 1. hunc authorem nullius esse authoritatis; cum varios errores habeat.

Resp. 2. eum non agere de secundis nuptijs mortuâ comparte, sed eâ viuente, ut patet ex eius scopo, & discursu.

D V B I V M VII.

Utrum iure naturæ sit permiffum vni femina simul habere plures maritos, vel vni viro simul habere plures uxores?

36.

Communis
sententia.

Prob.

DE priori dubij parte minor est difficultas, cum inter authores conveniat id iure naturæ esse illicitum. id enim partim docent aliqui, partim communiter supponunt, & patet: huiusmodi coniunctio repugnat tum fini principali matrimonij, tum etiam secundario. quod ostenditur, per commixtionem vnius feminae cum pluribus viris communius impeditur prolis generatio; ergo talis coniunctio maritalis repugnat fini principali matrimonij.

2. quamvis ex eâ non impediretur generatio, tamen proles suscepta non educaretur convenienter suæ naturæ, seu naturæ hominis, & proinde etiam ex eo capite huiusmodi polygamia repugnat fini principali matrimonij, assumptum patet: nullus vir agnosceret prolem, tanquam suam, & ita proli deesset cura paternæ illi necessaria ad convenientem educationem.

Repugnat etiam fini secundario matrimonij: cum enim per illud capessatur status etiam ad vitam sociale, & domesticam consuetudinem, in quâ convenienter debet esse vnum caput ad convenientem administrationem familiæ, per polygamiam vnius feminae cum pluribus viris huiusmodi ordo, & administratio familiæ perturbaretur: quia in eadem familia plura essent capita, tot scilicet, quot essent mariti, & quidem à se invicem independentia. nam secundum ius naturæ nullus maritus alteri subijceretur.

Ex quibus patet mulierem non posse suâ autoritate ita cum aliquo contrahere, ut ei concedat solum ius diminutum in corpus suum, seu partiale dominium corporis, retentâ scilicet facultate alteri etiam partialiter dominium tradendi, sed debere integrum dominium in vnum & eundem transferre. quod adde est certum, ut etiam gentes quantumvis barbaræ huiusmodi polygamiam abhorreant, & grauter reprehendantur, qui eam iudicant licitam.

Ex quo etiam patet vagum mulieris concubitus iure naturæ esse illicitum.

Maiores est de secundo puncto controuersia. nam Lutherus in propositionibus de bigamia, propositione 62. & sequenti, ut refert Valentia tomo 4. in 3. partem disp. 10. quæst. 1. puncto 3. censet polygamiam, quâ unus vir simul plures uxores habeat, Christianis esse licitam. Calet. etiam in cap. 19. Matth. existimat ne iam quidem extare diuinam legem de unitate vxoris.

Sed hæc hæresim continent, ut patet ex Concil. Trid. sess. 24. can. 2. dicente anathema ei, qui asserit licere Christianis plures simul habere uxores, & hoc nullâ lege diuina prohibitum. colligiturque ex illo Matth. 19. vbi Christus ait: dico autem vobis, quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem,

& aliam duxerit mæchatur. vbi prohibet etiam dimissâ vxore aliam duci, & multo magis eâ retentâ. quod apertius docetur Marci 10. vbi absolute dicitur: quicumque dimiserit uxorem suam, & aliam duxerit, adulterium committit super eam: & Lucæ 16. omnis, qui dimittit uxorem suam, & alteram ducit, mæchatur, & qui dimissam à viro ducit, mæchatur. ex quibus constat viuâ vxore, etiam dimissâ, non posse aliam accipi, & proinde nullo modo licere vni, & eidem simul plures uxores habere, lege diuinâ locis citatis id verante.

Controuersia est, num etiam iure naturæ ea polygamia sit illicita. negat Durand. dist. 33. quæst. 1. Abulensis quæst. 30. in cap. 19. Matth. Conar. verò epitome 4. decretalium 2. parte cap. 7. §. 3. sentit non posse ostendi ratione naturali hanc polygamiam esse malam & propriè contra ius naturæ, cui consentit Valentia puncto citato §. quærit idem probat.

Sed communius Doctores censent iure naturæ illicitam, quæ sententia est omnino verior. iuxta quam

Dico iure naturæ esse illicitum vni viro simul habere plures uxores.

Probat 1. ex Genesis 2. hoc nunc os ex ossibus meis &c. quamobrem relinquit homo patrem suum, & matrem, & adheret uxori suæ & erunt duo in carne vna quibus verbis Adamus diuino instinctu videtur naturalem matrimonij conditionem explicare, quod scilicet sit vinculum, quo vnus, & vna indissolubiliter copulantur in ordine ad prolis generationem. ergo repugnat naturali conditioni matrimonij, ut vnus simul plures uxores habeat, & proinde vir non potest suâ autoritate pluribus vxoribus simul copulari nexu matrimoniali.

Confr. Christus Dominus Matth. 19. Marci 10. & Lucæ 16. non tantum prohibet viuâ vxore aliam superinduci, sed etiam indicat id repugnare legibus matrimonij, & naturali eiusdem conditioni, cum reuocans potestatem dandi libellum repudij simul reuocat polygamiam, alludens ad verba Genesis citata. quod etiam deducitur ex Trid. sess. citatâ in doctrinâ de Sacramento matrimonij dicente: hoc autem vinculo duos tantummodo copulari, & coniungi Christus Dominus apertius docuit, cum postrema illa verba, tanquam à Deo prolata, referens dixit: itaque iam non sunt duo, sed vna caro. quâ loquendi formâ indicat Christum Dominum apud Euangelistas citatos docere matrimonium iuxta suam naturalem conditionem, atque iure naturæ requirere, ut sit solum coniunctio vnius cum vna.

Probat 2. ex cap. gaudemus, de diuortijs, vbi Innoc. 3. ex eo decernit Paganis ad fidem conuersis non licere plures uxores retinere, quia nulli vnquam licuit infirmis plures uxores habere, nisi cui fuit diuinâ reuelatione concessum. vbi ponderandû quod non dicat, quia diuina lege prohibitum, sed nisi ei fuit concessum, significans etiam citra omnem positum prohibitionem pluralitatem vxorum iure naturæ esse illicitam.

Probat 3. à posteriori, cum genus humanum initio videretur debere citò multiplicari, & ad id plures uxores duci debuissent, nullum tamen vsque ad Lamech plures habuit, quod signum est primos generis humani progenitores existimasse id esse illicitum, & ut apparet, iure naturæ.

Confr. Lamech, qui plures uxores dicitur habuisse, fuit improbus, ut patet ex Genesis 4. 2. apud Romanos teste August. lib. de bono coniugali cap. 7. fuit illicitum plures uxores habere, & aliam

Marc. 10.

Luc. 16.

39.

Controuersia.
Durand.
Abulens.
Conar.Communis
sententia
verior.40.
Conclus.Prob. 1. ex
Genes. 2.Confirm.
Matth. 19.
Marc. 10.
Luc. 16.Prob. 2. ex
Cap. Gaudemus.

Prob. 3.

Confirm.

August.

etiam vxori sterili superinducere, quod non videtur aliunde processisse, quam ex communi iudicio, quo existimantur id repugnare honestati matrimonij.

Prob. 4.

Probatur 4. ratione, ad rectam proles educationem requiritur vita socialis coniugum, vt ex dictis constat; hæc autem perturbatur, si plures vxores inducantur. quia vt S. Th. in additionibus quæst. 65. art. 1. non facile pax inueniri posset in familiâ, si vni viro plures vxores coniungerentur. quod satis declarant inuidiæ, & lites inter Saram, & Agar vxores Abraham, Rachelem, & Liam vxores Iacob, Phenennam, & Annam vxores Elcanæ. 2. cum eâdem vxorum pluralitate non ita aptè consistit commoda familiæ administratio: cum vxor etiam aliqualem domus administrationem habeat. hoc autem incommodum per se oritur, non verò planè per accidens. 3. vir vnus non potest commodè pluribus vxoribus providere de remedio concupiscentiæ, idque per se, non autem per accidens.

41.

Obiectio.

Dices id solum concludere, in naturâ lapsâ non esse conueniens pluribus vxoribus coniungi, non autem arguere esse incommodum respectu ipsius matrimonij secundum se spectati.

Resp.

Resp. neg. assumptum, nam etiam in nudâ naturâ hæc ratio locum habuisset, si enim homo fuisset creatus in nudis naturalibus, sensisset stimulos concupiscentiæ propter pugnam partis inferioris contra superiorem, quæ in eo statu inuenta fuisset. cum ergo in eo statu fuisset maritalis coniunctio, sequitur matrimonio secundum se spectato officere huiusmodi vxorum pluralitatem.

42.

Dubium.

Dubitari potest, num hæc polygamia ita sit iure naturæ illicita, vt etiam sit irrita? videtur enim posse consistere, quod sit illicita, & nihilominus rata.

Resolutio.

Sed omnino dicendum est, huiusmodi coniunctionem esse irritam, & inualem, quod declarat Marci 10. vbi dicitur: *quicumque dimiserit uxorem suam & aliam duxerit, adulterium committit super eam.* si aliam ducendo dicitur adulterium committere, ergo coniunctio est irrita: cum nullus possit dici adulter in iungendo validum matrimonium. Idem ostenditur ratione. nullus potest validè obligari ad inuendum statum illicitum, & peccaminosum, igitur contractus matrimonialis, quo propriâ auctoritate secunda vxor superinducitur, iure naturæ est nullus.

43.

Coroll.

Ex quo sequitur, quod lege naturæ propter incommoda enumerata vir non possit propriâ auctoritate solum ius dimidiatum corporis sui vxori tribuere, sed quod ad valorem contractus necessario debeat integrum concedere.

Aduerte tamen hanc veritatem non esse ita claram, vt non possit dari inuincibilis illius ignorantia, cum etiam viri docti censeant matrimonium cum pluribus vxoribus simul non esse contra ius naturæ, & rationes passim fieri solite non ita euidenter deducantur ex primis moralibus principijs per se euidenter lumine naturæ notis. vnde varij apud ethnicos habentes plures vxores possunt excusari, eò quod propter contrariam consuetudinem non ita perpendant præceptum naturæ lumine non ita clarum.

44.

Obiectio 1.
ex Augusti.

Contra principalem resolutionem Obijciunt 1. Augusti lib. 22. contra Faustum cap. 47. vbi dicit: *peccata alia sunt contra naturam, alia contra mores, alia contra præcepta. quæ cum ita sint, quid tandem criminis est, quod de pluribus vxoribus simul habitis obijciunt sancto viro Iacob? si naturam consulas, non lasciuendi, sed*

gignendi causâ illis mulieribus utebatur: si morem, illi tempore atque in illis terris hoc factitabatur: si præceptum, nullâ lege prohibebatur. & lib. 16. de ciuitate Dei cap. 38. eo tempore multiplicandæ posteritatis causâ multas vxores habere lex nulla prohibebat. ex quibus videtur concludi quod secundum Augusti. Iacob, & alij plures vxores habuerint, non propter peculiarem concessionem, sed quod nullâ lege prohiberentur, & proinde hanc polygamiam non esse lege naturæ illicitam. nam de eo, quod illâ lege est illicitum, dici nequit: nullâ lege prohibetur. Adde quod si Augusti per legem solum intellexisset positiuam, videlicet diuinam, insufficienter Iacob excusasset, cum aliquid possit esse illicitum, quod nullâ lege positiuâ est vetitum.

Confir. idem lib. 1. de nuptijs, & concupiscentiâ cap. 9. dicit magis pertinere ad bonum nuptiarum, si vnus & vna, quam si vnus, & multe coniungantur. vbi solum videtur præferre monogamiam polygamie tanquam maius bonum minori, non verò tanquam bonum malo. Propter hæc, & similia aliqui censent Augusti. hac in re vt potè perplexâ obsecutus fuisse locutum, nunquam tamen defendisse polygamiam tanquam licitam, sed magis improbasse.

Sed dicendum ex his, & similibus sententiis non haberi polygamiam iure naturæ esse licitam, ad primam dico Augusti. solum velle Iacob non potuisse culpam, quod plures vxores duxerit, quia fecit iuxta morem receptum. supponit autem illum morem descendisse ex diuinâ concessionem, nec fuisse reuocatum contrariâ aliquâ lege. accusari ergo, & culpam non potuit Patriarcha Iacob plures vxores ducens, quia non lasciuendi, sed generandi causâ illis vxoribus utebatur, & nihil faciebat contra naturam, id est contra naturam fecunditatis, cum vnus vir plures feminas possit fecundas reddere, nihil contra mores, nihil contra legem, quâ scilicet mos ille reuocaretur. ex quo patet Augusti. sufficienter excusasse Iacobum, & illa verba, *si præceptum, nullâ lege prohibebatur*, non esse intelligenda absolute, sed cum aliquâ suppositione moris, & consuetudinis: quasi dicat: *faciebat iuxta morem receptum ex diuinâ concessionem, qui nullâ lege reuocabatur.* eodem modo potest secundus locus intelligi.

Ad tertium Resp. non esse necesse quolibet loco quidlibet tradi, vel exprimi, sufficit quod ex hoc loco non habeatur contrarium, & illa sententia vera etiam esse potest, si coniunctio vnus viri cum vnâ ita pertineat ad bonum, & alia sit mala.

Obijciunt 2. can. quod proposuisti, 32. quæst. 7. vbi Gregorius 3. ita scribit Bonifacio Episcopo: *quod ex can. proposuisti, si mulier infirmitate correpta non valuerit debitu viro reddere, quid eius faciat ingali? bonum esset, si sic permaneret, vt abstinentia vacaret: sed quia hoc magnorum est, ille qui se non poterit continere, nubat magis non tamen subsidij opem subtrahat ab illâ, quam infirmitas præcedit, non detestabilis culpa excludit, ex quo patet quod saltem, quando mulier debitu marito reddere non potest, possit initi aliud matrimonium, possintque plures vxores haberi etiam in nouâ lege. Varij variè respondent, sed aliqui minus sufficienter, alij etiam cum iniuriâ sedis Apostolicæ.*

Respondendo igitur hunc canonem propriè nihil facere contra resolutionem, cum ex eo non liceat colligere Pontificem permisisse secundum coniugium remanente priori vxore, vel indicasse eum, de quo erat quæstio, potuisse retinere priorem

tanquam

tanquam vxorem, sed si quid vergeat, vergere matrimonij dissolubilitatem. verum nec illi dissolubilitati fauet. vnde

Dico Pontificem docere virum posse ad alias nuptias transire, eò quod censeret matrimonium cum priore muliere non fuisse validum propter naturalem illius impotentiam, cum matrimonium cum eà iniretur. ita communiter Doctores.

Dices Pontifex ait: *ut subsidij opem à priore non subtrahat*: ergo signum est, quod censeat priorem fuisse, & remanere vxorem.

Resp. id nullo modo sequi, & dico Pontificem illis verbis solum suadere, vt ei in necessitatibus corporalibus non desit, quod etiam honestas suadet, citra tamen maritalem coniunctionem.

D V B I V M VIII.

Virum licuerit aliquando viris simul habere plures vxores?

ALIQVI apud Abulensem quæst. 34. in cap. 19. Matth. censent polygamiam nunquam fuisse licitam, sed solum permittam, seu non puniunt.

Sed contrarium omnino tenendum est, videlicet olim licuisse vni viro simul habere plures vxores.

Probatur 1. exemplo Patriarcharum Abraham, & Iacob, & item Elcanæ, quos nullo modo verisimile est in perpetuo adulterio vixisse, cum scriptura frequenter commendet Abraham, Isaac, & Iacob, & nominatim Matth. 8. promittatur electis, quod cum Abraham, Isaac, & Iacob recumbent in regno cælorum. & Abraham etiam, cum haberet Saram, & Agar, benedictus fuerit à Deo, & Deus ei tanquam amico locutus fuerit, vt patet ex Genesi.

2. Nunquam Israelitæ hac de re à sacris scriptoribus fuerunt notati, vel à Prophetis reprehensi, cum tamen frequentia essent in eo populo iterata coniugia: quos mirum fuisset tantum flagitium, & tam frequens, & publicum dissimulasse.

3. Deuteronomi 17. & 21. videtur supponi tanquam licitum viro simul habere plures vxores.

4. Idem docet August. lib. de doctrina Christiana cap. 12. vbi agens de veteribus, ait: *sufficiens proli causa erat vxorum plurium simul vni viro habendarum inculpabilis consuetudo*, & quæst. 63. in Levit. tractans id, quod dicitur Levit. 18. *sororem vxoris tuæ in pelliculum illius non accipies*, ita scribit: *hic non prohibuit superinducere, quod licebat antiquis propter abundantiam propagationis sed sororem sorori noluit superinduci*.

Id autem fuit licitum Deo concedente, quamuis enim incommoda superiori dubio allata ostendant id non licuisse priuata autoritate, ratione dictante hominem qui non est Dominus corporis, & membrorum suorum, non posse dimidiatum ius corporis sui in aliam transferre recepto integro dominio corporis eiusdem, non tamen ostendunt Deum supremum Dominum membrorum id non posse, quemadmodum ergo in aliis obligationibus potest ius vnus tollere, v. g. etiam iniuncto creditore condonare restitutionem ei faciendam, ita in presenti tanquam supremus Dominus

potuit facere, vt mulier transferret integrum dominium corporis sui in virum, eò solum concedente imperfectum.

Adde Dominum Deum abunde posse providere incommodis, quæ sequuntur ex pluritate vxorum.

Dices hinc videtur colligi polygamiam solum iure diuino esse illicitam, Deo scilicet non concedente potestatem tradendi dimidiatum dominium corporis sui per matrimonialem contractum.

Resp. neg. sequelam, quia id non oritur ex aliquâ lege Dei positivâ: sed ex naturâ rei potestas hominis ita est coarctata, vt propriâ autoritate nequeat tradere huiusmodi imperfectum dominium sui corporis: quemadmodum etiam, seclusâ omni lege positivâ, homo non potest sibi membrum abscindere, aliud enim est non posse aliquid sine alterius concessione, aliud verò solum prohiberi id facere ex lege alterius. impotentia posteriori modo orta est ex lege positivâ, prior ortum habet ex ipsâ rei naturâ.

Deus verò id videtur concessisse ad celeriore generis humani propagationem, idque fortè aliquanto post diluvium. neque contra hoc facit, quod potius id debuisset concedere in mundi primordio, quia in initio potius debuit ostendi naturalem matrimonij conditionem postulare, vt esset vinculum vnus cum vnâ, idque aliquamdiu durare conuenit, ne homines existimarent polygamiam esse iure naturâ licitam.

Quamvis autem fortè expressior facta sit concessio Patriarchis, communiter tamen facta esse intelligitur pro populo Iudaico, vnde consuetudo inualuit in illo populo plures vxores ducendi.

Controversia est, num concessio solis Iudæis facta fuisse censetur. ita censent aliqui, idque ad populum Dei multiplicandum.

Verum longè probabilius est eam concessionem ad alios quoque populos extensam, quod indicat August. lib. 22. contra Faustum cap. 47. docens morem ducendi plures vxores receptum fuisse in ijs terris, in quibus Iacob peregrinabatur, nec vllâ lege id prohibitum, ergo censet diuinam concessionem etiam ad externos populos extensam.

Confir. ex eo quod Laban obtulerit Patriarchæ Iacob Rachelem in secundam vxorem, existimans nullo modo esse illicitum vni viro simul duas habere vxores, cuius iudicium non reprehenditur à scripturâ.

Dices gentibus non esse factam reuelationem.

Resp. non esse factam illis in particulari; intellectum tamen communiter licere alijs in hoc genere, quod licuit populo Iudaico, cuius contrarium scriptura non indicauit, quod non pratermisisset, si persuasio hæc fuisset facta, & erronea, cum fuisset causa gratissimorum peccatorum salutem materialium.

Aduertè ex Trident. sess. 24. in doctrinâ de matrimonij Sacramento, ex cap. *gaudemus*, de diuotiss, & ex tit. de sponsâ duorum, in lege Euangelicâ ita omnem polygamiam esse prohibitam, & matrimonium ad primam, suam conditionem reuocatum, vt nec Christiano, nec gentili liceat secundam inducere vidente coniuge, & matrimonium attentatum esse irritum.

Contra resolutionem obicitur 1. Ambros. lib. 1. de Abraham Patriarchâ, cap. 4. vocat coniun-

ctionem

49.

Obiectio.

42.

Resp.

50.

Huius rei concessio facta fortè expressior Patriarchis.

51.

Controversia.

Resp.

Auctoris.

52.

Trident.

In lege Euangelicâ & Christiano & Gentili polygamia est prohibita.

53.

Obiectio.

ex Ambros.

Resp.

tionem Abraham cum Agar adulterium, quamvis censetur nondum fuisse lege prohibitum.

Resp. Ambr. i. a se sibi difficili varias responsiones excogitasse ad Abraham excusandum, & aliquas minus solidas, sed tandem in verâ conueniente: quod scilicet illud coniugium non fuerit peccatum, sed mysterium, ut videri potest cap. citato, quibus verbis aperte declarat Abraham accepisse Agar in uxorem etiam viua Sarâ ex diuinâ concessione.

Obiectio 2.
ex Aug.

Obicitur 2. quod Aug. varijs locis excuset Abraham, quod non impetu libidinis cognouerit Agar, sed gratiâ prolis, cogente uxore, videri potest lib. 22. contra Faustum cap. 30. & alibi.

Resp.

Resp. id non dixisse, quod existimauerit non intercessisse legitimum coniugium (cû ex dictis constiter, quid hac in re senserit) sed quia agebat contra Manichæos nuptias damnantes, & obijcientes Patriarchis libidinem, ideo tacitâ veritate coniugij cum pluribus vxoribus (quod Manichæis non satisfecisset) solum asserit, quod Abraham non cognouerit Agar ex affectu libidinis, sed posteritatis propagandæ.

Obiectio 3.

Obicitur 3. quod superinductæ vocentur concubinae.

Resp.

Resp. neg. vniuersaliter ita vocari: nam Rachel non vocatur concubina Iacob, neque omnes, quas habuit David, vocantur concubinae, & ita de multis alijs. præterea Deut. 21. dicitur: si habuerit homo uxores duas, vnam dilectam, & alteram odiosam. 3. in scripturâ, quæ vno loco vocantur concubinae, alio vocantur vxores, ut patet ex Gen. 16. 25. 30. 35. & alibi. vnde nihil verat eas, quæ dictæ sunt concubinae, fuisse veras vxores, quæ tamen prærogatiuis vxoris in administratione familiæ cum marito non gaudebant, neque earum filij communiter admittebantur ad paternam hæreditatem.

Concubina
in scripturâ
aliter sumi-
tur, quam
tam vlu
communi.

Ex his patet nomen concubinae in scripturâ longè aliter sumi, quam iam communi vlu sumatur. ibi enim sumitur pro vxore quadam secundaria, iam verò sumi solet pro eâ, quæ nullo intercedente matrimoniali vinculo cum aliquo commoratur, & concumbit.

Hactenus ostendimus licuisse diuinâ concessione aliquando vni viri plures vxores simul habere, feminis autem certum est, id nunquam licuisse.

56.

Petitio.

Petit, an diuinâ concessione etiam liceret feminæ plures maritos simul habere.

Resp. affir.
probab.
Salas.
Esius.

Plures negant, eo quod repugnet primario iuri naturæ, & primario fini matrimonij, qui est prolis generatio. sed non videtur improbabile licere, quod indicat Salas de legibus, tract. 14. disp. 5. sect. 8. num. 42. Esius dist. 33. §. 2. versu, *quæritur ergo*; quia, ut dictum est, Deus tanquam supremus Dominus iuris mariti posset efficere, ut is integrum ius corporis sui transferret, quamvis non acquireret vicissim solidum & integrum ius in corpus mulieris, providendo futuris incommodis, nimirum constituendo, ut primus accedens ad uxorem præiudicaret iuri subsequenti, ita ut absque vllâ iniuriâ mulier posset ei debitum negare, quatenus officeret susceptioni prolis, & constituendo vnum patrem familias, penes quem esset administratio domus, hocius alijs subtracto, quem admodum olim aliqua ex vxoribus præerat familiæ, alijs exclusis.

QVÆSTIO II.

De matrimonio quatenus est
Sacramentum

DVBIVM I.

Verum matrimonium sit Sacramentum
verè, & propriè dictum?

NEGANT hæretici nostri temporis, cuius sententiæ non obscure est Durand. in 4. dist. 26. quæst. 3. cum aliquot iurisperitis à se citatis. quamvis enim censetur necessariò asserendum matrimonium esse Sacramentum: asserit tamen non nisi æquiuocè ita vocari, cum non conferat gratiam suscipientibus, & ita non sit signum gratiæ sanctificantis, quod ad rationem veri, & propriè dicti Sacramenti requiritur.

Sed certâ fide tenendum est matrimonium esse verum & propriè dictum Sacramentum gratiam sanctificantem conferens. definitur in Flor. decreto de Sacramentis, vbi reponitur inter Sacramenta propriè dicta nouæ legis, quæ dicuntur continere gratiam, & dignè suscipientibus conferre, & in eodem decreto dicitur: *septimum est Sacramentum matrimonij*. Idem definitur in Trid. sess. 7. can. 1. de Sacramentis in genere, vbi definitur septem esse Sacramenta, baptismum &c. & matrimonium, & dicitur anathema neganti aliquod horum septem esse verè, & propriè Sacramentum. quæ Sacramenta can. 6. definiuntur continere gratiam, eamque conferre non ponentibus obicem, quod speciatim etiam definitur sess. 24. can. 1. videri potest doctrina eiusdem sess. vbi id aperte traditur. idem traditur cap. ad abolendam, de hæreticis, vbi matrimonium coniungitur baptismi, & reliquis Ecclesiasticis Sacramentis, & anathematizatur is, qui aliter de deo sentit, quam Romana sentit Ecclesia, quam constat censere matrimonium esse Sacramentum.

Eadem veritas Probatur. 1. ex Patribus Ambr. lib. 1. de Abraham cap. 7. *cognoscimus velut præsidentem, custodemque coniugij esse Deum, qui non patitur alienum sibi pollui, & si quis fecerit, peccare eum in Deum, cuius legem violat, gratiam soluat, quam Deum peccat, Sacramenti caelestis amittit consortiū*. vbi docet matrimonium conferre gratiam, & esse Sacramentum caeleste, quod non est dictum de Sacramento in latiori significatione, cû status coniugalitatis etiam in antiquo testamento per peccatum coniugum non amitteret rationem coniunctionis Christi cum Ecclesiâ. August. de bono coniugali cap. 24. *bonum nuptiarum per omnes gentes atque omnes homines in causâ generandi est, & in fide castitatis: quod autem ad populum Dei pertinet, etiam in sanctitate Sacramenti, per quam nefas est coniugij repudio intercedente alteri nubere, dum vir eius vivit*. vbi notandum quod non dicat: in significatione Sacramenti, sed in sanctitate.

Probatur 2. ex eo quod matrimonium in Ecclesiâ semper fuerit habitum tanquam res sacra, atque adeo statim ab initio Ecclesiæ consueverit celebrari sacris ritibus, ut testatur Euaristus episc. 1. ad Episcopos Africanos, qui docet traditum ab Apostolis, ut sponsa benedicatur à sacerdote cum precibus.